DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
PODAGRA
QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE
WESTPHALIAE ET RELIQVA
AVCTORITATE ET CONSENSV
GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
SIMONE PAVLO HILSCHERO
MED. D. ET THEORET. PROF. PVBL. ORD.
h. t. PRO-RECTORE MAGNIFICO
PATRONO ET PRAECEPTORE SVO PIE COLENDO
PRO GRADV DOCTORALI
EIQVE ANNEXIS HONORIBVS IVRIBVS ET PRIVILEGIIS
IN ARTE MEDICA
LEGITIME MORE MAIORVM CONSEQVENDIS
PVBLICO ET BENEVOLO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR ET RESPONDENS
M. SIMON IOH. IACOB. ORTEL.
AD DIEM DECEMBR. M DCC XXIX.
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

IENAE, LITTERIS MVLLERIANIS.

§. I.

MOrborum vt varia ſunt genera; Ita aliis alii ſunt tenaciores & maiori cum periculo coniuncti. Quo autem magis affligunt corpus humanum; Eo conſultius eſt eorum inſtituere examen, & cogitare de mediis, quibus aut pelli aut minimum leniri posſint. In tenaciorum morborum numero Podagra etiam recenſetur, idque iure meritoque: Siquidem experientia dudum docuit, hanc, per interualla licet, grauisſimas moleſtias facere corpori humano, & velut hoſpitii iure reuertere ſolere vtplurimum, cum ſemel adfuerit.

§. II.

Conſtat autem Podagram ceu hoſpitem conuolare crebrius ad diuites, quam ad pauperes, vt ideo PETRARCHA *part. 2. dialog. 84.* de remediis vtriusque fortunae, dixerit: *Si ſalutem cupis aut pauper ſis, aut pauper viuas.* Ingenioſe ſatis ea de re diſſerit quoque CASPAR A REIES *Camp. Elyſ. quaeſt. iucund. Quaeſt. 88. num. 12.* optat, inquiens, Podagra bene edere, veſtiri commode, habitare late, cubare molliter, dormire ſatis, laborare nihil, & recreationibus vacare

perpetuis. Commendat igitur his omnia contraria, parce videlicet comedere, male veſtiri, anguſte habitare, rigido ſtrato iacere, modice dormire, corpus exercere, & ab omni recreatione abſtinere, quaſi Podagra haec incommoda reformidaret, & domos eiusmodi vitae rigori deditorum, ſiue necesſitate cogantur, ſiue ſponte ſua talem viuendi rationem eligant, refugere aut raro inuiſere ſoleat.

§. III.

Sed cum tamen & egeſtate afflicti interdum hoc morbo ſoleant laborare; Aliis vero aut conſuetudo viuendi, aut dignitas, qua eminent, a delicatiore vita ſeſe retrahere, & duriori adſuefacere non permittat: Inquirendum eſt paulo accuratius in huius mali naturam & indolem, ut cum de cauſis, tum de remediis rite iudicare posſimus. Non equidem ignoramus, hanc operam iam occupaſſe doctisſimos Viros: Interim cum ſpecimen iam ſit nobis exhibendum, putavimus, ea, quae ab aliis dicta ſunt, a nobis ſaltim repeti, & in compendio quaſi exhiberi poſſe, ſi nouis ea augere meditationibus forte non datum fuerit. Faxit ſummum Numen, vt hoc fiat in ſui Nominis gloriam, multorumque ſalutem.

§. IV.

Cum omnium rerum pertractandarum exordium fieri debeat a notione & definitione: Noſtrarum quoque partium erit ante omnia exponere, quid Medici Podagrae nomine denotare ſoleant. Eſt Podagra vox graeca deſcendens a πȣ̃ς, h. e. pede, & ἄγρα captura, quaſi ἡ τῶν ποδῶν ἄγρα. Atheneus per illam intelligit morbum articularem, talem quidem, quo pedum articulos noxius infeſtat humor. Vnde ποδαγρὸς & ποδαγρικὸς eum ſignificat, qui Podagra laborat. Fit etiam mentio huius morbi apud antiquos autores Latinos, v. g. Cum Ouidius medicinam carpens inquit: Tollere nodoſam neſcit medicina Podagram, & Plautus meminit Podagroſorum.

§. V,

§. V.

Ex iis, quae iam ſunt in medium prolata, facile apparet, nullos alios articulorum dolores Podagrae nomine eſſe inſigniendos, quam pedum: Neque enim niſi ignarus vel cum magna licentia ἀκύρως loquens manuum aut dentium Podagram ſtatuet. In eo autem facile aſſenſum praebemus, vocem ἄγρα cum nomine laborantis partis coniungi poſſe, ita ut Coxagram, Gonagram, Chiragram, Odontagram &c. admittamus.

§. VI.

Quidam Podagram Guttae nomine proferunt, hanc quidem ob rationem, quod hoc vitioſo pedum ſtatu affecti ſibi perſuadeant, ſe alicuius ſtillae lapſus inter oſſium connexus ſentire: Quippe qui ſaepius affirmare ſolent, ſe vnum atque alterum diem, antequam aduentaſſet Podagra, nuchae obtuſum dolorem habuiſſe, qui deinceps ad regionem renum, tandemque ad pedis articulos fuerit delapſus, ita quidem, vt in primordio dolorum aliquid inſtar ardentis ſtillae in affectam pedis partem cadere videretur. Alii Medici non dubitarunt Podagram vocare morborum principem, quanquam alii inuerterint, & morbum principum dixerint; Illud quidem, quod difficulter admittit medicinam, hoc, quod inter Magnates & lautius viuentes potisſimum reperitur. Nec deſunt Germanis nomina, quibus hunc pedum dolorem efferant. Mox enim appellationem ſumunt a genere, eamque vocant *die Gicht*, ſive cum addita parte afflicta *die Fuß-Gicht*: Mox ipſum graecum nomen retinent Podagra, a quo forte deſcendunt denominationes *das Podal* & *Podagel*. Alias ipſis audit *das Zipperlein*, quod, qui eo excruciantur, cippo quaſi detenti videantur. Helmontius hunc morbum *volupe viuentium* appellauit, ſcilicet, vt contrarium exprimeret potius per loquendi rationem non inuſitatam, quoniam videlicet morta-

 libus

libus nihil ſolet eſſe moleſtius grauiusque. Neque enim credibile videtur, eum hoc nomen in laudem Podagrae inveniſſe, eorum in modum, qui cum Petrarcha Podagram tanquam rem exoptatisſimam magnis laudibus in coelum extulerunt.

§. VII.

Variae quidem ſunt medicorum definitiones, quibus Podagram deſcribunt; Omnes tamen eo redeunt, vt Podagram pro ſpecie arthritidis habeant. Liceat igitur differentiam ſpecificam ita exprimere, quod Podagra ſit dolor pedum maxime circa articulos, & quidem tenſiuus, formicans, grauisſimus, diuerſis temporibus & vicibus recrudeſcens a ſero acriori ibidem collecto inductus. Aliis Podagram per tumorem aut per obſtructionem membranoſarum, tendinoſarum ac neruoſarum circa articulos partium definire placuit: Aſt rectius eiusdem definitio ſit per dolorem: cum hic laborantes maxime diuexare, & ideo providam ſui medelam expoſcere ſoleat. Hac etiam ratione definita podagra ad ſymptomata actionis laeſae, & quidem deprauatae, eſt referenda.

§. VIII.

Quando diximus, dolorem hunc occupare pedem; id non tantum intellectum volumus de pede ſtrictisſime ſumpto, qui ab infimis tibiae & fibulae terminis usque ad digitorum apices procedit, ſed ipſam quoque tibiam, fibulam, genu, omnesque earum intermedias partes includimus, vtpote quas Podagra, praeſertim ſi vehementior eſt, inuadere & affligere quoque aliquando ſimul ſolet.

§. IX.

Fit autem hoc variis modis: Neque enim vno eodemque modo in omnibus hoc morbo laborantibus dolor ſe ſe exerere ſolet. Alii queruntur tenſionem & tractionem eo imprimis tempore, quando pedes aut extenduntur aut con-

trahun-

trahuntur: ſimul adeſt formicatio quaedam pedum, ita, vt, ſi incedendum ipſis ſit, ad genua dilabendum foret. Quae quidem omnia ſentiuntur, quando Podagra recens vel adhuc in fieri eſt, licet externe nondum aliquid appareat. Longe autem grauiores ſunt dolores acuti illi & pungentes, quaſi cultelli quidam & acus in parte affecta abſconditi ſint, quibus perpetuo laedatur. Tanta enim nonnunquam eorum ſolet eſſe ferocia, vt iis miſere excruciati tantum non ad deſperationem compellantur, ſibique ipſis violentas inferant manus. Id autem maxime contingit in Podagra conſummata & quaſi perfecta.

§. X.

Dolores autem, quicunque demum ſint, omnes differunt rurſus & quoad gradum & quoad tempus. Etenim tenſiones & tractiones non minus, quam formicationes & compunctiones, nunc magis, nunc minus, ſe ſe exerunt. Maior etiam eorum eſt atrocitas tempore humido & minus calido, quale eſt autumnale & hybernum, quia tum tranſpiratio magis impediri ſolet. Diuerſitas dolorum etiam obſeruatur ratione aetatum. Cum enim in ſenibus per 4, 6, & 8. hebdomades perdurent; In iunioribus non facile ultra *14tum* diem producuntur. Et quando Podagra hoc quaſi ſtatutum tempus ſeruat, *regularis* vocatur. Quando autem hunc decurſum variat, & leui data cauſa, etiam in aeſtate, & alio quoque tempore, irruere ſolet, ita, vt nunquam fere ſecuri de ea eſſe homines posſint, dicitur Podagra *anomala*.

§. XI.

Quod ad ſigna Podagrae attinet, vnde cognoſcatur illam vel inſtare vel praeſentem eſſe, ſciendum eſt, ad ſigna imminentis podagrae in huic affectui potisſimum aſſuetis referenda eſſe febriculam quandam diariam, articulorum debilitatem & lasſitudinem, coniunctam cum difficili extenſione pedum, eorundemque quaſi ſtupore, anxieta-

tem

tem praeterea ſaepe praecordiorum, capitis ſtupiditatem & vertiginem, inquietum ſomnum, frequentem oſcitationem, urinam turbulentam &c. quae ſigna eo minus fallere ſolent, quando in ſubiectis plethoricis & ſcorbuticis animaduertuntur, vel in iis obueniunt, qui delicatiori victui adſueti aut iam ad profectam aetatem delati ſunt.

§. XII.

Signa praeſentis Podagrae, quae paroxyſmum vt plurimum comitantur, varia rurſus ſunt. Solet enim tunc adeſſe intumeſcentia inſignis venarum & eiusmodi dolor loci affecti acutus, vt quaſi cultellis ſe pungi putent, contractiones & tenſiones dolorificae tendinum, nervorum & membranarum, adeo graues, vt ſaepisſime naturalis motus partis affectae ad tempus plane ceſſet. Accedit tumor eiusdem, frequentisſime cum rubore coniunctus, vt ignari pro eryſipelate habere facile posſint. Interea hoc malo affecti aut ſomno priuantur, aut admodum inquiete dormientes dolorum atrocitate excitantur, vt repente in eiulatus & clamores erumpant. Vrinam deprehendes rubicundam, cum ardore coniunctam ſaepe, appetitum proſtratum, aluum adſtrictam &c. Alia, quae rarius occurrunt ſigna, & quosdam tantum pro diuerſa ratione vexant, lubentes nunc praetermittimus.

§. XIII.

Ex iam allatis, cum de praeterito, tum de futuro patientis ſtatu iudicari facili negotio poteſt. Ex natura enim & indole ſupra adductorum ſignorum colligendum eſt, podagricum morbum huncce vel praeter culpam vel cum culpa ſua accepiſſe: Illud, quando a parentibus velut hereditate obtinuit diſpoſitionem ad malum hocce; Hoc, quando abuſu ſalinorum, eorumque ciborum, qui ſcorbutum producunt, aut exceſſu in veneris exercitio, aliaue ratione, hanc labem ſibi attraxit.

§. XIV.

§. XIV.

Signa autem, quae prognoſtica dicuntur, quibus de futuro patientium ſtatu iudicamus, veluti de longitudine aut breuitate morbi & de euentu eius, nunc nominanda ſunt. Hippocrates Podagram per ſe minime lethalem eſſe affirmat: Poteſt tamen omnino accidere, vt per accidens mors ſequatur. Quod ſi enim repellentia intempeſtiue adhibeantur, materia peccans in corpus repellitur: quo facto fieri aliter non poteſt, quam vt conuulſiones, ſuffocationes & ſtrangulationes proueniant. Non minus mortem ſibi accelerare poteſt Podagricus, quando pedes malo hoc affectos aëri frigidiori exponit, & quae ſunt alia. Apposite de hoc negotio ſcribit CASPAR HOFFMANNVS *l. 3. inſtitut. p. 460.* Videmus nos podagricos mori tum, ſi humores influentes repellantur ad viſcera; aut ſi viſcera tam ſunt debilia, vt humores ad ſuperficiem pellere non poſſint. Caeterum de duratione huius morbi certum qnid ſtatuere vix poſſumus. Hippocrates 40 dies ab initio usque ad finem morbi ſtatuit; ſed experientia nos docuit, quosdam citius liberari, alios longius excruciari. Hoc autem certum & exploratum eſt, quo citius cauſae Podagrae e medio tolluntur; Eo citius patiens ad priſtinam ſanitatem redire poterit. Denique notandum eſt, hereditariam podagram opem Medicorum magis reſpuere aeque ac inueteratam. Interim tamen morbum hunc plane eſſe incurabilem, non facile dixerim, praeſertim ſi recens eſt podagra, & a principio ſtatim eius recta habeatur ratio.

§. XV.

Subiecta Podagrae dicuntur ii, qui habent talem corporis ſui diſpoſitionem, vt procliues ſint ad morbum hunc recipiendum. Quae quidem fuſius delineare non opus eſt:

B Nam

Nam ex hactenus dictis ſatis, quinam ii ſint, iudicari poteſt. Vexantur ſcilicet vtplurimum hoc malo ii, qui ſunt temperamenti ſanguinei vel ſanguineo-cholerici, qui plethora laborant, & vegetiori gaudent animo: Quorum ſtructura laxa eſt, poroſa, ſpongioſa turgidaque: qui luxuriei deditı ſunt, & in victu, potu & venere exceſſus committunt: Aut qui cibo & potu pinguiori, ſpirituoſiori & delicatiori vtuntur, maxime vinis recentioribus & ſulphure copioſo & craſſo praeditis: denique qui variis affectibus praecipue iracundiae diſtrahuntur, aut otio nimium indulgent.

§. XVI.

Saepe autem fit, vt podagra reperiatur etiam apud eos, qui in iſtorum numero non ſunt collocandi. Multi enim hoc morbo conflictantur, quoniam a parente geniti ſunt, cuius ſanguis & ſemen particulis arthriticis fuit repletum. Hae enim arthritidem in ſe iam quaſi continent, & conſequenter omnes foetus producendi liquores facile penetrant, & totam maſſam ſanguineam charactere podagrico, tanquam fermento, facile impraegnant. Imprimis vero podagra excruciabuntur ii, qui eo tempore ſunt generati, quo hoſtis ille podagra inuaſerat corpus patris: Nam qualis tempore generationis fuit ſanguis & ſerum, tale etiam ſemen: Ex ſemine autem impuro impurus etiam fructus progerminabit. Interim non inficias ibimus, morbos hereditarios diu latere poſſe, antequam erumpant: quod fit longe citius in iis, qui contra diaetam peccant, & primis iam annis venerem exercent, quam qui temperantiae & continentiae ſunt ſtudioſi. Poteſt tamen & ſolet character hereditarius morboſus legitima diaetae ratione aliquando plane extirpari, vt ideo liberi non vniuerſali hereditatis iure morbos paternos maternosue ſubire opus habeant.

§. XVII.

§. XVII.

HIPPOCRATES negat ſect. 6. aph. 28. Eunuchos eſſe ſubiectum podagrae: aſt in eo errare mihi videtur. Reperiuntur enim in iis, qui vel a patre podagrico nati eam velut hereditate relictam acceperunt, vel tanta ſunt deſidia tantoque gulae ſtudio, vt morbum hunc effugere non poſſint. Quin etiam ex veneris nimio vſu podagram ſibi attrahere poſſunt. *Celeberrimus enim & beatus* WED. *in pathol. med. dogmat. pag. 637.* de caſtratis obſeruauit, illos nihilominus coire poſſe; vnde & hodie apud Turcas non ſufficere teſticulorum euulſionem, ſed in quibusdam accedere mentulae abſciſſionem, vt tutiores habeant foeminarum cuſtodes. Eo minus dubitari debet de monachis, quod podagrae vim experiri poſſint: praeſertim, cum experientia ſaepiſſime doceat, eos hoc malo miſere torqueri.

§. XVIII.

Sed ad mulieres properamus: quaeritur nimirum, numne foemininus ſexus ſit immunis a dolorifica captura hac? HIPPOCRATES *Sect. 6. aph. 29.* quaeſtionem hanc affirmat, quamdiu eorum menſtruus fluxus ex ordine procedat. Sed experientia nos iubet contrarium defendere. Licet enim foeminis praeſidium & beneficium magnum ſit adverſus omnis generis morbos menſtruorum excretio legitima; Sunt tamen multarum mores tales, vt haec ex menſium fluxu oriunda praeſervatio neutiquam ſufficiat. Qua de re facete SENECA *Lib. 5. epiſt. 95.* ſcribit: *Mulieres cum virorum licentiam aequauerint, corporum quoque vitia aequauerunt. Neque enim minus peruigilant, non minus potant, & oleo ac mero viros provocant, atque inuitis ingeſta viſceribus per os reddunt, vinumque omne vomitu remetiuntur: aeque niuem rodunt, ſolatium ſtomachi aeſtuantis; libidine neque maribus cedunt. Quid ergo mirandum eſt, maximum Medicum, ac*

naturae peritiſſimum, in mendacio prehendi, cum tot foeminae podagricae ſint. Beneficium ſexus ſuis vitiis perdiderunt & quia foeminam exuerunt, damnatae ſunt morbis virilibus.

§. XIX.

Hactenus expoſuimus quaenam ex hominibus ſubjecta podagrae obnoxia eſſe ſoleant, ſeu, vt ſcholae loqui amant, de ſubiectis vt quae diximus: Loquendum igitur nunc nobis eſt de ſubiecto podagrae vt quo. E iam dictis vero abunde patet, & imprimis §. VIII. id ipſum eſſe pedem, & quidem maxime parvum ſive extremum. Inter partes vero huius, dolori podagrico ſedem praebentes, prae reliquis referri merentur articulorum perioſtia, nerui, ligamenta atque tendines: Nam hae partes maxime ſunt ſenſiles, & ab humoribus acribus ibidem collectis vellicantur, criſpantur ac tenduntur. Quibus etiam ſummo iure addi debent glandulae mucilaginoſae, quae circa articulos haerentes lympham mucilagineam, ſynoviam dictam, pro eorum humectatione ſecernunt, quasque primum, tam quoad ſtructuram, quam uſum clare deſcripſit & cum publico communicauit doctus Anglus CLOPTON HAVERS in ſuis prælectionibus de oſſibus. Quemadmodum enim hae glandulae in ſtatu naturali ſunt organa ſecretoria & receptoria lymphae blandae ac demulcentis, ita in ſtatu praeternaturali quoque acris, & tartareae, variaque ratione peccantis, quaeque in podagra conſummata aliquando circa articulos in tophos abire & plane cutim perforare ſolet. Denique a ſubiecto ſpeciali doloris podagrici non excludimus reliquas ad pedis parvi conſtitutionem concurrentes partes, vaſa nempe ſagnuifera, muſculos, ipſamque cutim. Nam & hae partes facile quoque, vellicatis & conſtrictis iam dictis, ita criſpantur, vt motus fluidorum in iſtis non ſatis expedite procedat: Et quando hoc fit, locus affectus tumorem exhi-

exhibet, qui ſaepe cum rubore coniunctus eſſe ſolet. Articuli, qui in pede paruo acerbo hoc dolore affici ſolent, varii ſunt, & modo hi, modo iſti: Frequentisſime tamen doloris ſedes haeret in connexione maioris digiti cum primo metatarſi oſſe; ſat frequenter quoque in reliquis connexionibus metatarſi cum pedis digitis, nec non aliquando in malleolis, alibique.

§. XX.

Ceu cauſam podagrae proximam in definitione accuſavimus ſerum acrius in pedibus collectum; ſicque cauſam efficientem & materialem, quae in foro medico ſaepisſime vna eademque eſt, ſimul appellauimus. Serum enim acre, in partibus pedum tam ſenſilibus iam dictis collectum, non eſt otioſum, ſed ob ſuarum particularum aciem & rigiditatem easdem rodit, vellicat, criſpat, premit, ſimulque aliis in locis tendit, vt fibrae membranarum ac ligamentorum figuram ac ſitum priſtinum mutent, & ipſis ſolutio continui immineat; quare neceſſario varius isque acerbisſimus oboriri ſolet dolor, & ſaepe impotentia pedem mouendi; Imo & reliqua circa partem affectam non ſolum euenientia ſymptomata, ſed & pleraque alia ex hac cauſa commode explicari poſſunt.

§. XXI.

Pronunciauimus vero in genere, ceu cauſam materialem & efficientem ſerum acrius, non definiendo, qualis naturae in ſpecie ſit haec acrimonia, an acida, alcalica, ſalſa vel auſtera: Neque id ſine ratione fecimus. In hac enim verſamur opinione, modo huius, modo iſtius indolis magis peccare acrimoniam, id quod doloris, temperamentorum & cauſarum mediatarum diuerſitas nos credere iubet. Ali-

quando enim dolor magis ardens pulſansque cum coniuncto partis rubore adeſt, indicio ſalis magis alcalici; Aliquando vero urget dolor magis vellicans, rodens ac terebrans, qualem acida efficere ſolent; Interdum conſtringens & conſtipans, qualis a ſubauſteris edi ſolet. An vero ſalia peccantia, magis minus volatilia, vel fixa in culpa ſint, & copioſo vel pauco viſcido inuoluta, e doloris maiori minoriue conſtantia, aliisque colligi poteſt. Porro a commiſcela ſalium cum ſynovia dependet generatio materiae iſtius tophaceae, quae in quorundam podagricorum & imprimis chiragricorum articulis non raro obſeruari, & nodoſam podagram & chiragram exhibere ſolet. Ex experimentis enim laudati CLOPTONIS HAVERS, quae in diſcurſu quarto oſteologiae novae protulit, ſufficienter patet, quod varia ſalia cum ſynouia articulorum commixta hanc facile in coagulum quoddam cogant, quod tamen copioſius & firmius praeſtent acida & maxime auſtera. Expreſſe enim l. c. ſcribit acidum cum auſtero aliquo combinatum, non tantum copioſius coagulum produxiſſe, ſed illud etiam craſſioris conſiſtentiae, nec adeo in aqua pura diſſolubile, ac iſtud, quod cum acido ſolo factum erat, reliquiſſe. Atque ex hac theoria quoque optime nunc conſtat ratio, an iure ſufficienti a Paracelſo & huius aſſeclis arthritis fixa potisſimum, huiusque ſpecies, ad morbos tartareos referri ſoleant.

§. XXII.

Podagrae vero producendae non ſufficit ſola cauſae materialis praeſentia in corpore, ſed requiritur etiam certa ſubiecti patientis atque recipientis, pedum nempe, diſpoſitio, vt humores vitioſi vel ſenſim vel cum impetu ibidem collecti tardiusque poſtea moti ſupra expoſita ratione ſenſum triſtem inferre queant. Haec enim, ſi conditio non adſit, ſerum acre non poteſt fieri vera cauſa podagrae efficiens,

ficiens, nullaque oboriri ſolet podagra. Obſervamus quippe multos homines ſuccis impuris & acribus turgentes, qui tamen minus podagrae tormenta ſuſtinere coguntur. Adeoque abſolute neceſſaria eſt ad podagrae generationem ſimul pedum certa debilitas, h. e. tonus eorum vitalis, vel a diſpoſitione natiua, vel variis occaſionibus ita debilitatus, qui humoribus vitioſis illuc appellentibus non ſatis vivide propellendis ſufficiens ſit, vnde στάσις obtingit. Facit itaque multum huc tenera & laxa partium mollium, pedem paruum conſtituentium textura a natiuitate talis. Porro referendae huc ſunt omnes cauſae, quae tonum pedum laudabilem vitiare ſolent, e. g. eorum nimia refrigeratio, contuſio, quies nimia, vel motus quoque nimius & hunc ſequens protracta nimis quies, & quam maxime venus immodica, ceu quae ſpiritus corporis noſtri valde diſſipando artuum robur mirum quantum diſſipare ſolet.

§. XXIII.

Maximam porro circa expoſitionem indolis cauſae conſiderationem meretur, quod ſero acriori & ipſi liquido nerueo in podagra coniuncta admodum ſaepe ſit viſciditas. Etenim ſi talis adſit horum liquidorum conditio, eadem anguſtas neruorum, membranarum, ac tendinum fibras circa articulos commode tranſire nequeunt, adeoque partes has ſenſiles premendo, diſtendendo, vel rodendo ac criſpando diuerſum ratione ſuae acrimoniae, copiae & viſciditatis excitant dolorem.

§. XXIV.

Cenſum igitur cauſarum mediatarum ſubeunt omnia, quae generationi ſeri acrioris & liquidi neruei in corpore anſam

anſam dare, & tonum pedum vitalem debilitare ſolent. Quaenam vero e cauſis naturalibus huc ſpectent, magnam partem colligi poteſt ex iis, quae de *ſubiectis*, prae aliis hominibus ad hunc affectum procliuibus, in antecedentibus diſſeruimus, vt ideo de hac materia adeo prolixe hoc loco tractare non opus habeamus. Nihilominus *aetatis* quaedam adhuc iniicienda venit mentio. Docet vero experientia, quod hoc affectu frequenter laborent in aetate virili & duabus primis aetatis ſenilis periodis conſtituti homines, ab anno 40 ad ſeptuageſimum usque. Quod autem homines ab anno 40. ad ſexageſimum huic affectui frequentius ſint obnoxii, non vna eſt ratio. Solent enim in hoc vitae ſpatio humores ſenſim acriores & ſpisſiores fieri, artuumque robur imminui. Neque deficiunt, his aetatibus, frequentes vehementioribus animi affectibus & maxime irae indulgendi occaſiones, cum hos annos agentes officiis publicis praeeſſe, & ambitionis ſtimulis ſaepe nimis quantum agitari ſoleant. Imo multi legitimo etiam matrimonio iuncti ſat graues in Venere committunt exceſſus, Cererique & Baccho litant. Quibus erroribus ſaepe cum accedat otium, eo certius podagra ſuas ludere ſolet tragoedias. Eſt vero otium in ultima aetatis virilis & primae ſenectutis terminis non adeo paucis hominibus familiare ſatis, cum iam parto viuere, nec de acquirendis per labores bonis multi ſoliciti eſſe incipiant. Ordinarium vero pueri, adoleſcentes, iuuenesque a podagrae tormentis privilegium habent, niſi hi plane enormes in diaeta circa dictas res admiſerint errores, vel a parentibus multum ab arthritide fixa vexatis procreati fuerint. In huius enim indolis pueris octo vel decem annos natis a probatae fidei ſcriptoribus obſeruata legitur podagra. Appparet igitur ſimul e dictis obſeruationibus, quo ſenſu accipiendus ſit HIPPOCRATIS *ſect. 6. aphor. 30. Puer ex podagra non laborat, antequam venerem exercuerit.*

§. XXV.

§. XXV.

Diſpoſitionem naturalem ad podagram, in corpore latentem, quae partim §o antecedente, partim §. 15, 16, 17, 18, a nobis tacta fuit, augere ſolent res non naturales dictae, quae igitur remote ad podagrae generationem concurrere ſolent. Harum vero nunc ratio exponenda eſt. In his primo occurrit aër. Ab eius enim conſtitutione, praeexiſtente diſpoſitione in corpore, vel haereditaria, vel alia, excitari & accelerari poteſt podagra, id quod potiſſimum fieri ſolet verno & autumnali tempore. Vtroque enim ob coelum inaequale, dum de die aër calidior, noctu vero ac mane frigidior eſt, facile tranſpiratio nimis imminuitur ac inaequalis fit; hinc retentis recrementis ſalino-ſeroſis eadem facile in pedibus, non probe a frigore defenſis, ſedem figunt & podagrae tragoediam ludunt. Vernum vero tempus ex hac quoque cauſa paroxyſmis podagricis fauet, quatenus eodem a maiori facto aëris elatere animata quaſi humorum maſſa & circulo eorum aucto, particulae recrementitiae ſalinae ad artus propelli quoque ſolent.

§. XXVI.

Ab aëre alterum tenet locum cibus & potus; qui licet ad vitae conſeruationem hominibus dati ſint; tamen cum vel in iis non habeatur diſcretio, vel modus in aſſumendis iis excedatur, cauſa multorum morborum & podagrae ipſius exiſtere poſſunt. Inter talia alimenta maxime pertinent ea, quae multas in ſe continent particulas acres, ſalſas atque acidas, e. g. acetaria, carnes & piſces ſaliti, cibiq; nimis pipere, zingibere &c. conditi, & largius in vſum vocati. Quippe talia humoribus acribus generandis anſam dant. Potiſſimum inconſultum eſt deuorare cibos ſibi inuicem contrarios, vnde humores crudi, pituitoſi, viſcoſi, flatulenti, acidi & acres progigni ſolent; qui vt in multas moleſtias homines coniiciunt: ita eidem podagricum affectum facile conciliant.

§. XXVII.

Vini vſum noxium eſſe iis, qui diſpoſitionem podagricam habent Auicenna aliique cum eo aſſerunt. Nos putamus inter moderatum vſum & copioſum eſſe diſtinguendum: iſte enim concoctioni primae inſervit; modo illa eligantur vina, quae non adeo multis particulis nocivis referta ſunt. Inprimis abſtinendum eſt ab iis vinis, quae ſubtile acidum particulis ſulphureis obuolutum in ſe continent. Etſi enim linguae grata & blanda eueniant; neruoſis tamen partibus per ſua ſpicula nocent. Hinc Dolaeus prohibet potiſſimum ea vina, quae in illis terris nata ſunt, vbi multum calcis latet, qualia ſunt pleraque vina Rhenana atque Hungarica. Idem vero valet etiam de aqua: quae ſi calce nimium fuerit referta, non minus quam vinum arthritidis, adeoque & podagrae, mater eſſe ſolet.

§. XXVIII.

Motus & quies magnum in corpus humanum influxum habent. Motus ſi fuerit immodicus, & ſtatim a menſa factus, irregularem humorum curſum producit, partes volatiliores diſcutit, & craſſiores ad membra debilitata proſternit. Quae quando ibidem neruoſas partes rodere incipiunt, dolores etiam podagricos excitare ſolent. Quemadmodum autem crebrae & nimiae vigiliae idem incommodum inducunt; Ita per nimiam quietem & ſomnum, ſi aut iuſto tempore non inſtituatur, aut in multam diem protrahatur, multum mali accerſitur. Spiritus enim torpeſcunt & humores circumfluentes viſcidi redduntur & tardi, quo minus excerni poſſint. Pari ratione, qui vitae ſedentariae nimium dediti ſunt, ſolent ſibi debilitatem pedum contrahere, quae deinceps ad podagrae generationem multum confert. Excernenda ſi retinentur, multum ad accerſendum hoc malum valent. Quae res cum per ſe clara ſit, non opus eſt, vt multum de re ſordida diſſeramus. Huc etiam referendae ſunt euacuationes artificiales vt V. S. ſcarificatio, purgatio-

gationes &c. aliquamdiu continuatae, vel per intervalla repetitae, poſtea vero omiſſae, quae in diſpoſitis facile quoque podagram pariunt.

§. XXIX.

Animi affectus etiam in cenſum veniunt. Qui enim iracundiae ſunt obnoxii, ira ſaepe turbantur, aut terrore commoventur, aut excruciantur moerore, aut denique venereis affectibus indulgent, ſpiritibus animalibus & humoribus vim inferunt, ac partes ſolidas valde debilitant, adeoque facile in podagram prolabuntur; et, ſi ad eam proclives iam fuerint, eiusmodi inordinatis motibus eandem facile excitant provocantque. Cum autem mortales plerique impetum animi ſui ſequantur; apparet, culpam mali in eos ipſos potiſſimum recidere.

§. XXX.

Tandem etiam tribus, quod dici ſolet verbis, cauſarum mediatarum praeternaturalium iniicere placet mentionem. Harum vero catalogum augent omnes res praeternaturales, quae ad podagrae cauſae proximae generationem quacunque ratione quidquam conferre ſolent, e. g. ſcorbutus, menſium & haemorrhoidum ſuppreſſio, tranſpiratio inſenſibilis imminuta, ſudores pedum cohibiti, fonticulorum intempeſtiua exiccatio, tonus pedum a variis cauſis debilitatus, aliaque. Facile vero quisque rerum medicarum gnarus, meditatione circa has res inſtituta, aſſequi poteſt, in quantum eaedem ad podagram generandam, vel denuo prouocandam facere poſſint, ac non raro ſoleant.

§. XXXI.

Iis quae ad indolem affectus podagrici faciunt, expoſitis, eiusdem cura tradenda venit. Duplici vero ratione medicus circa podagram verſatur, vel vt ab eadem homines defendat, quo aut plane non hoc malo corripiantur, aut tantum rarius & mitius; vel vt podagram praeſentem tempeſtiue ac tuto depellat, & ſymptomata vrgentia coniuncta mitiget.

§. XXXII.

Actio prior medici dicitur praeſeruatio a podagra, & pro fundamento habet indicationem praeſeruatoriam in tantum, in quantum haec remotionem cauſarum mediatarum praecipit, ne ex his poſſit enaſci cauſa proxima, & ſic ipſe paroxyſmus podagricus oboriri. Patet itaque quod primaria cura praeſeruatoria ſuum habeat fundamentum 1.) in legitimo rerum non naturalium vſu, qui ex recenſione cauſarum harum facile aeſtimari poteſt. Etenim omnes cauſae procatarcticae recenſitae ſedulo vitandae ſunt iis, qui a podagra immunes eſſe volunt, ne diſpoſitiones in corporibus latentes, ceu cauſae προηγουμεναι, actuentur, & cauſa proxima fiant.

2) Dictae cauſae antecedentes in corporibus haerentes ſubinde etiam corrigendae ſunt, id quod præprimis fit, quando excretiones omnes iuxta ordinem naturae procedunt, &, ſi ab hoc tramite recedere velint, mox ad eundem reducantur. Hoc enim ſi fiat legitime, vix impuritates oneroſae ac acres in humorum maſa oboriri poſſunt, & ſic podagrae ſtruendae materies ſubtrahitur. Atque hoc aſſertum noſtrum valet de excretione menſium, haemorrhoidum, ſudoris, materiae tranſpirationis inſenſibilis, vrinae, nec non fecum aluinarum ipſarum. In plethora affectis, ſiue ea pura ſiue impura, ſeu nonnihil cacochymica fuerit, ſanguis eſt mittendus, pro ratione virium, atque in hac ſimul laxantia & ſanguinem depurantia adhibenda. Porro nullo modo artificiales euacuationes humorum, vt ſanguinis per venæ ſectionem & ſcarificationes, impuritatumque ſeroſo-pituitoſarum ac bilioſarum, mediantibus emeticis ac laxantibus, quibus haec vel iſta ſubiecta hactenus cum ſolamine ſaepius uſa & iis adſueta iam ſunt, omitti debent: cum earum intermiſſionem prauorum humorum congeſtiones facile ſoleant excipere. Imo & in genere in blandiſſimis emeticis vt radice ipecacuanhae, nec non laxantibus & purgantibus benignis, rhabarbarinis ſcilicet, ſennatis, mechoacanna al-

ba, extr. agarici, pilul. tartar. Bontii, polychreſtis Beccherianis, Stahlianis, Hoffmannianis, temporeque verno & autumnali adhibitis, maximum momentum poſitum eſt in præſeruandis hominibus ab inſultibus podagricis.

§. XXXIII.

Equidem a commendatione medicamentorum laxantium & benigniſſimorum purgantium pro praeſeruanda podagra nos facile deterrere potuiſſet monitum celeberrimi Anglici Medici SYDENHAMII, quod in Tract. de podagra p. m. 515. his verbis tradit: *Poſtremo quod purgationem attinet, certis interuallis & integra ſanitate repetendam, vt paroxyſmo eatur obviam, atque ei aditus praecludatur; etſi, quod eſt fatendum, non ita praeſens periculum eſt, ne noua occaſio inuitetur, atque fuit in caſu iam dicto, cum aeger nondum ἔξω βέλους omnino fuerit; tamen etiam hoc tempore paroxyſmum parit, idque ob cauſam ſupra memoratam, quia ſcil. in hoc affectu naturae lex ſit inuiolabilis, atque ipſi huiusce morbi eſſentiae intertexta innexaque, morbi fomitem ſemper in articulos reiicere.* Verum enim vero quando ipſa Sydenhamii verba & totum contextum doctrinae de abuſu purgantium in podagra accurate inſpicimus & ponderamus, apparet, ipſum de catharticis propre dictis & fortioribus, qualia articulis expurgandis a veteribus deſtinata ſunt, vt extr. colocynthidis, rad turpethi albi, mag gummi guttae, aliisque, potiſſimum loqui videre. In eo vero dum ipſa laxantia pro fine praeſeruatorio, & antequam natura ullo modo occupata ſit humores irritantes ad artus amandare, minus apta & tuta iudicat, ipſi contradicimus, cum circumſpectum horum vſum ſalutarem potius in praxi obſeruauerimus. Non adeo frequenter tamen benigna laxantia in vſum vocanda cenſemus, ne ventriculi & inteſtinorum tonus facile debilitetur, & cruditatum generationi praebeatur anſa. Semper etiam obſervandum eſt, an in hoc vel iſto ſubiecto copioſae primarum viarum quisquiliae educendae lateant an minus, aut an iam humorum vita-

lium maſſa vitiata; quo poſteriori caſu magis inuertentibus & temperantibus inhaerendum erit. Caeterum vtique catharticorum vſum, durante paroxyſmo podagrico, & in fine huius, cum Sydenhamio nullo modo tutum pronunciamus e cauſis ibidem commemoratis.

§. XXXIV.

Tandem ſi ex neglectu legitimae diaetae, vel praevalente quadam diſpoſitione corporis ad podagram, iam humorum dyſcraſia diverſimode ſalſa atque craſſa, ſicque cauſa eiusdem ſuo modo proximior, orta fuerit, tunc eo maiori ſtudio & in tempore ſuſcipienda eſt praeſeruatio à podagra. Conueniunt itaque non ſolum humores tales e primis viis ſecundaque & tertia corporis regione iuxta medendi leges blandisſime euacuantia, ſed & qualitates has noxias corrigentia ac inuertentia. De euacuantibus primas vias iam diximus: hinc de reliquis ſaltem dicendum; ad quae referenda diuretica & diaphoretica. Probe vero notandum eſt, quod ex vtrisque tam pro podagra praeſeruanda quam curanda ſaltem blandiora, nec calidiora, humores valde commouentia, locum habeant. Hinc laudari merentur prae reliquis tinctura tartari, ſpiritus carminatiuus de tribus, nitri dulcis cum Eſſ. pimpinell. alb. remixtus, arcanum tartari, arcanum duplicatum, tartarus vitriolatus, nitrum depuratum, oc. cancr. calces antimonii fixae, oſſa humana vel alia calcinata, atque cinnabaris nativa vel antimonii, mixtura ſimpl. legitime praeparata nec camphorata. Cuncta vero haec recenſita non ſolum humores noxios blande euacuant, ſed vel craſſitiem vel acrimoniam eorum ſimul corrigunt. Corrigentibus hiſce ac à podagra praeſeruantibus remediis ſummo iure accenſeri debent infuſa aquoſa calida plantarum blande diureticarum, aperientium ac neruinarum, np. hb thee vulgaris & thee bou, hederae terreſtris, millefolii, ſaluiae, betonicae, veronicae, chamaedryos, aliarumque, in tanta quantitate ſin-

ſingulis fere mane hauſta, quantam ventriculus ſine ulla ſui moleſtia ferre poteſt. Vix enim dici poteſt, quantam humores viſcoſo-acres corrigendi vim habeant talia infuſa, & circulum humorum aequalem praeſtent, adeoque feliciter ab affectibus tartareis praeſervent. Atque talia infuſa, ſi magna humorum acrimonia praeſens iudicetur, cum tert[illegible] vel dimidia parte lactis bubuli vel caprini mixta locum habent. Eadem ratio quoque eſt decocti Coffee, non nimis ſaturi, quod à multis, quibus eiusdem ſulphur quodammodo narcoticum non infenſum eſt, ſaluberrime aliquoties de hebdomade in hunc finem bibitur. Non minus pro fine praeſeruatorio à podagra circumſpectus acidularum & thermarum vſus ſalutaris admodum ſaepe deprehenditur propter virtutem diluendi, humoresque viſcoſo-acres per tam multas corporis vias ſine virium deiectione educendi.

§. XXXV.

Tempore paroxyſmi podagrici eo ſuam dirigere debet curam Medicus, quo humores vitioſi in ſenſilibus pedum partibus congeſti, tanquam cauſa proxima, blande diſcutiantur, exhalent ac reſolvantur, atque maſſa humorum, ſpirituumque σύςασις nimis commota temperetur ac componatur. Hiſce intentionibus optime ſatisfaciunt ex internis diaphoretica, nec non temperantia, ac reſoluentia ſalina, diluentiaque, iam commendata maximam partem ſub remediis podagrae praeſeruatoriis. Sic in ſpecie pulueres ex oc. ♋. off. calcin. ♁. diaph. ſimpl. vel martial. cum cinnab. nat. & nitro aut tartaro vitriolat. ſunt eximii, quibus in forma liquida iungi poſſunt mixturae ex Eſſ. rad. ariſtol. rotund. ver. ſuccin. rad. pimpinell. alb. cort. caſcarill. lignor. ſcord. & mixt. ſimpl. diuerſa ratione & proportione concinnatae: nec non infuſa pugillaria herbarum iam laudata, vel decocta e rad. ſcorzon. chin. ſarſaeparill. aut bardan. item ipſa lignorum in

ſub-

ſubiectis ad temperamentum phlegmaticum inclinantibus. Atque ad huius indolis decoctorum claſſem ſummo iure referri debet decoctum iſtud celebratum ad podagram Viennenſe, cuius haec eſt compoſitio: ℞. polypod. quern. hermodactylor. rad. chin. ſarſaeparill. āā ℥iv. lign. guajac. ℥vj. C. C. gr. m. coquantur in tribus menſuris vini, atque nouem menſuris aquae, ad quartam partem. Singulis horis menſura ſemis circiter calide aſſumenda praeſcribitur, ſed minor aſſumi poteſt, & quidem, bene monente B. WEDELIO *in Diſſert. de polypodio*, ſub directione medici prudentis. Modus operandi iſtius conſiſtit in virtute reſolvendi, incidendi ac diaphoretica, videturque nobis hoc ipſum decoctum magis locum habere in ſubiectis ſeroſo-pituitoſis, vel ſaltem ſeroſioribus, quam calidioribus. Sic nouimus virum primarium ac eruditum, qui multiplici iam vice huius decocti vſu dolores podagricos breui abegit, ita vt vix elapſo 24. horarum ſpatio longe mitiores redderentur: contra tumor, qui remanſit, ſufficienti mora pro ſui diſcuſſione opus habuit. Singularem quoque virtutem antiarthriticam & antipodagricam tribuit DN. D. KLAVNIG *miſcell. natur. curioſor. ann. 5. & 6. obſ. 66.* radici ariſtolochiae rotundae verae, eiusque eſſentiae concentratae, adhibitae ad gtt. 50. nec non eiusdem extracto in forma pilulari ad grana 15. propinato.

§. XXXVI.

Quemadmodum vero laudata duo medicamenta antipodagrica ſpecifica, maxime ob virtutem reſoluendi & abſtergendi agunt, ita quandoque in podagricis, ab aeſtu corporis & vigiliis valde debilitatis, conueniunt praeter ſupra commendata nitroſa cum abſorbentibus & cinnabarinis mixta, emulſiones temperantes & confortantes e ſem. 4. frigid. maior. amygdal. dulc. ſem. pap. alb. aquis ſcorzon. ceraſor. nigr. rub. id. galeg. fl. ſamb. aliisque, cum modica ſacchari quantitate.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Atque hoc loco inter remedia tam à podagra praeſervantia, quam eidem praeſenti medentia, mentio facienda eſt potus lactis vaccini calidi, quo de legi poteſt celeberrimi WALDSCHMIDII *Diſſertatio de cura lactis, podagricorum ſolatio & certo podagrae remedio*, ceu qua optime eam adhibendi modus proponitur. Sed cum in principio huius curae nulli alii cibi praeter lactis potum, niſi quod panis aliquid ſimilaginei ſemel forte de die adiiciendum ſit, aſſumi debeant, & praeterea huius liquoris vſus admodum diu continuandus, ſerio perpendendum eſt curam hanc ſuſcepturis, an ventriculus etiam hactenus aliis cibis aſſuetus longiorem lactis potum perferre queat, aut alias metus adſit, ne intempeſtiue patientes ipſius pertaeſi fiant, quod tamen fortaſſis penes ipſos non erit, vt vt propoſiti tenaces fuerint: ſicut ſatis egregie de γαλατοποσία hac indicat ſupra allegatus SYDENHAMIVS *Tract. de podagr. pag. m. 531.* ita ſcribens: *Profuit haec quam plurimis prae caeteris huiusce morbi praeſidiis, quamdiu ne latum vnguem ab ea diſceſſerint. Quam primum vero ad ſanorum diaetam, vtut lenem mitemque ſeſe receperit, qui huic inſueverat, podagra confeſtim reuerſa aegrum peius longe, quam antehac, vexauit.* Senſim igitur à lactea diaeta ad aliam recedendum eſt, & maxime vitari debent omnia eſculenta & potulenta ſalſa, acida, acria, aromatica & calidiora. Hinc inter alia WALDSCHMIDIVS *Diſſert. cit. c. 4. pag. m. 187. no. 13. & 14.* inquit: *Si lac per 14. ſeptimanas adhibitum fuerit, tunc ſecurius de ſequentibus cibis aſſumi poterit, ita tamen, ne ventriculus obruatur & de lacte ſubtrahatur. Ex cibis itaque concedantur oryza in lacte cocta, oua ſorbilia, aut in butyro inſalito frixa, inſulſum butyrum cum pane ſimilagineo, pultes lacteae & alia lacticinia, ita tamen vt in omnibus ſal abſit.* Porro de lactis hoc potu SYDENHAMIVS hoc annotauit, quod nonnulli hypochondriaci, craſſo corporis habitu, vel qui alias liquoribus ſpirituoſis diu

multumque aſſuevere, lactis vſum nullatenus ferre poſſint. Salutaris vero effectus a lactis potu in podagra ratio a dicto Autore recte redditur, quod liquor hic ſimplex atque dulcis ſanguinem mitiorem dulcioremque reddat, particulas in eo acriores contemperando. Caeterum praeſtat laudatos Autores ipſos euoluere, & maxime Sydenhamium circa cautum ipſius vſum conſulere.

§. XXXVIII.

Quod ad remedia externa attinet, ea debentur vel dolori mitigando, qui aliquando propter vehementiam urgens eſt, vel reſoluendo tumori, vel vtrique ſymptomati, cum ſaepe eadem coniuncta videas. Conueniunt igitur diſcutientia, neruina ac paregorica talia, quae nec poros oblinunt, nec conſtipant, fibrasque ſolidarum partium criſpant, adeoque repellunt. Tutiſſimi ex his ſunt ſacculi calidi partibus affectis impoſiti ex herba ſerpilli citrati, fl. chamom. ſambuc. melilot. furfuribusque triticeis. Quibus accenſeri poſſunt ſuffumigia e ſtoechade citrina. Porro egregie ſe ſaepe gerunt litus ſpirituoſi vel e ſolo ſpiritu vini camphorato & crocato, vel cum Eſſ. caſtorii & ſpiritu lumbricor. volatili mixto, confecti, & mediante linteo quadruplicato applicandi, vel pluma illinendi. In quibusdam tamen hominibus, licet rarius, fibras cutis nimis ſenſiles habentibus, linimenta talia ipſas & earum incolas, ſpiritus animales, nimis concitando dolorem augent, adeoque abeſſe debent. In podagra recentiori praedicatur etiam ſalutaris vſus emplaſtri ſaponati Barbette largiter camphorati, & per vices impoſiti. SYDENHAMIVS *l. c. p. m. 551. teſtatur* ſibi podagrico pulticulam ex pane ſimilagineo cum croco in lacte cocto, addito poſtea oleo roſaceo in pauca quantitate, olim prae caeteris profuiſſe in paroxyſmi fine, in initio tamen ipſius ſe nihil prorſus iuuiſſe.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Quodſi podagra *ſubito retrocedat* vel ex debilitate naturae, vel ob ſiniſtram curam, & materia morbifica occupet viſcera, modo haec, modo iſta, nempe pulmones, hepar, ventriculum, inteſtina; tunc facile oriuntur pectoris oppreſſiones cum ſubitaneo virium lapſu, & iſtorum inflammationes, vel tamen irritationes notabiles. Mox itaque adhiberi debent alexipharmaca & diaphoretica cum confortantibus remixta, e. g. Tinct. bezoardic. bonae notae mixt. ſimpl camphorata, eſſentia theriacalis, contrayerv. pulv. bez. Wed. Sennert. Anglicanus, nec non ſpecies diamargarit. frigid. ad ʒß. vel ℈ij. in decocto polypodii exhibitae, ceu quas ſaepius D. Sorbait in hoc caſu efficaciſſimas deprehendit: Potiunculae item diaponicae & confortantes. Locis vero affectis imponi poteſt ceratum de galbano cum tantillo euphorbii mixtum. Sin vero e coniunctis ſymptomatibus certo arguatur ſtatus pulmonum aliorumque viſcerum inflammatorius, tunc methodus eiusmodi inflammationibus debita adhibenda ſimul eſt. Scilicet praeter diaphoretica blanda & reſoluentia maxime locum habent ſimul diluentia ac temperantia, praeſertim nitroſa cum aliis mixta, & quam maxime *V S.* quoque, ſanguine per eandem in ſufficienti quantitate detracto.

§. XL.

Porro inter paroxyſmi podagrici periculoſa ſymptomata occurrit etiam *ventriculi debilitas & languor, cum ventris torminibus*, tanquam a flatu, quod, notante SYDENHAMIO l. c. iis accidit, qui vel iam multis annis podagrae obnoxii fuerunt, vel iis, qui licet non diu eadem laborantes, hoc tamen mali inuitarunt praepropere, liquores ſpirituoſos cum tenuiori- & multum refrigerantibus derepente commutantes; vel emplaſtra repellentia, aliaque medicamenta refrigerantia par-

tibus affectis ad leniendum dolorem admouentes morbi cauſam materialem; quae in artus debuerat deponi, in viſcera reiecere. Ad hoc vero ſymptoma mitigandum, nihil aeque votis ſibi reſpondiſſe ſcribit ac *vini Canarienſis hauſtulum*, ſubinde deglutitum, languore & aegritudine vrgentibus. Alias vero in his ſimilibusque caſibus proſunt eſſentia theriacalis, zedoar. cinnamomi, cortic. citr. aurant: & horum aquae cum vino paratae; nec non modica valde theriacae Andromachi vel coeleſtis doſis: ſimul in vſum vocato motu corporis moderato, quantum eſt poſſibile: hic enim niſi fiat vel fieri queat, aeger diu ſeruari nequit.

§. XLI.

Aliquando etiam *Diarrhoea* diuturna, cum torminibus ventris coniuncta moleſtum ac periculoſum ſolet eſſe in podagra ſymptoma, quod vel à materia podagrica ad interiora repulſa, aut non ſufficienter ad artus propulſa, vel mala diaeta, v. gr. potatione liquidorum nimis refrigerantium, & quam maxime aquae frigidae oriri ſolet. Hoc igitur in caſu theriacalia & ſtomachica commendata cum motu corporis inſtituto, ſi hunc aegritudinis conditio admiſerit, locum habent; mane vero diaphoretica conuenientia, ut eſſ. theriacal. cum mixt. ſimpl. remixta, vel theriac. Andr. ad ℈j. cum aqv. zedoar. & fl. ſambuc. diluta, expectato poſt horum vſum ſudore. Sic ſaepius laudatus SYDENHAMIVS de hoc podagrae ſymptomate ſcribit: *Vnicum, quod ſcio, remedium eſt, vt ſudor prouocetur methodo & medicamentis huic uſui deſtinatis: quod ſi fiat ad biduum triduumue mane & veſperi, per duas treſve horas continuas, ſiſtetur vtplurimum diarrhoea, & morbi fomes magna vi in artus detonabit. Teſtatur etiam inſimul optimus hicce medicus, quod hac methodo ab aliquot annis vitae ſuae conſuluerit; idque poſteaquam cardiacorum & adſtringentium varii generis opem fruſtra imploraſſet.* Circa hanc tamen Sydenhamii methodum

thodum monemus, quod provocationi ſudoris virium tolerantia modum ponere debeat, non vero horarum numerus, nec diarrhoea critica, quae quandoque in podagrae paroxyſmo fit, cum ſymptomatica ſit confundenda; id quod poſterius ab Autore quoque notatum fuit.

§. XLII.

Paucis dicendum reſtat de regimine diaetetico in podagrico paroxyſmo obſeruando. Facile vero hoc aeſtimari poteſt ex iis, quae de cauſis procatarcticis diſſeruimus. Iſta enim omnia ſunt vitanda, quae ibi notata fuere tanquam noxia, & ideo his contraria ſunt eligenda. Vivat ergo podagricus, quantum poſſibile, in locis temperatis, quos nec frigus, nec intenſisſimus calor premit, maximeque pedes affectos foueat. Potus ſit in prandio & coena cereuiſia tenuis talis tamen, quam ventriculus bene ferre poteſt, nec vſus vini admittatur vllus, niſi ipſum conſuetudo & ventriculi languor in prandio & coena quandoque vrgeant, in parua ſaltem quantitate concedendum. Mane in vſum cedat potus thee bou, vel infuſi herbae cuiusdam commendatae; hora vero poſt meridiem quarta vel quinta Coffé, vel ſibi relicti, vel cum lacte mixti. Eſculenta ſint iuſcula auenacea & ex ptiſana parata, aliaque, admodum parce aromatibus & ſale condita, nec multum pinguia; oua tremula, pultes ex oryza cum lacte paratae, nec non pyra dulcia exiccata atque cocta. Poſt aliquot dierum decurſum conueniunt etiam carnes concoctu perquam faciles, ſi eaedem appetantur. Animi pathemata grauiora exulent cuncta, & inter haec maxime ira, atque amor intenſus, in primis ſi veneris exercitium poſt ſe trahat. Non minus curam gerere debet medicus cum aegroto, vt excretiones naturales omnes ex ordine procedant, quam maxime vero menſium & haemorrhoidum fluxus in ſubiectis, quibus hic familiaris eſt: porro vigiliis nimiis, admodum tamen caute, obviam eatur.

§. XLIII.

De motu corporis, qualis hic in podagrae paroxyſmo eſſe debeat, vt ſigillatim dicamus, eiusdem dignitas requirit. Podagricus enim, vt ſcite iudicat SYDENHAMIVS, non debet prius ab omni motu abſtinere, v. gr. vectione in curru, niſi prae nimia paroxyſmi atrocitate primo ſtatim inſultu quaſi proſtratus fuerit: quo in caſu e re erit, vt etiam lectulo ad primos dies aliquot, donec ſcilicet doloris vehementia remiſerit, idem includatur: Extra atrocem vero podagrae paroxyſmum ſummopere commendat corporis motum p. m. 545., inter alia ita: *Et licet tam dolor quam magna ad motum inhabilitas, exercitio, quod ego prae caeteris omnibus laudaui, contraindicare videantur, tamen & hic labor exantlandus omnino eſt. Quamlibet enim in paroxyſmi initio aegro impoſſibile videatur, vt lationem in currum, multo minus eius motum ferre queat, attamen ſi id tentauerit, non ita diu poſt ſentiet ſe minus a tali motu dolere, quam cum ſe in cathedra domi contineret. Id inſuper accedit emolumenti, ſi ad horas aliquot tam mane quam poſt meridiem in curru vectus fuerit, quod cum domi toto die ſederet, noctem fere inſomnem ageret, iam dolorem ſomno ad multam noctem fugare poterit; cum exercitatio permodica podagra laborantem eo usque delaſſet, vt in ſomnum dilabatur.* Cui igitur opum ſuarum ratio permittit commoda vectione curru facta in paroxyſmo podagrico, tempeſtate fauente, vti, iſte eam in vſum vocet. Cui vero hoc beneficium conditionis ſuae ratio non indulſit, ſellas lectulosque, ope rotularum mobiles, adhibeat, neque ambulationem blandam intermittat penitus, licet cum aliquo doloris ſenſu fiat; vel etiam corpus clara voce exerceat, ſi aliter fieri nequeat, iuxta monitum BAGLIVI *Diſſert. de Tarantula*, cap. 13. pag. 638: *Podagrici ſi aliter exerceri non posſint, exerceantur voce, ſcilicet vel libros alta voce legendo, vel cum amicis colloquendo, vel canendo.* Atque de hoc

clari

clari ſermonis in podagra vſu pluribus diſſeruit D. D. PRAESES in Programmate, cui titulus: *De legitimo clari ſermonis exercitio pro ſanitate tum reſtauranda, tum conſeruanda.* Toti denique noſtrae de podagra ſcriptioni finem imponant laudati BAGLIVI verba, quae *Prax. Med. lib. 1. p. m. 116. Edit. Lugdunenſ.* leguntur: *Omnia remedia podagricis praeſcripta inutilia propemodum erunt, niſi vinum, venus, otium, & crapula temperantius vſurpentur.*

FINIS.

ADſcendis cathedram magna laetitia mentis,
Et tua rite nobis ſtudia magna probas.
Cum haec alma videt multum miratur Hygaea,
Ac ſtatuit merito praemia digna tuo.
Gratulor inſignem, quo nunc ornatus, honorem:
Cumulet innumeris TE Deus ipſe bonis.

Honores meritisſimos
Praeclarisſimi Domini Candidati
amice gratulatur

HEINRIC. BERNHARD. IVNGKEN,
Moeno Francofurtanus,
Opponens.